

**Programma Quo, Rector Et Senatus Academiae Rostochiensis Funus ... Viri-
luvenis Henrici Schuckmans/ Rostochiensis I.U. Doctorandi, Patre Viro ...
Henrico Schuckman/ I.U.D. Codicis in Universitate Rostochiensi Professore ...
Anno cl Ic XLVIII. pie denati, Et inidem Christiano ritu sepeliendi
Commiserationis ac honoris ergo prosequuntur**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777426870>

Druck Freier  Zugang





Rector et Senat, academ.,

in

H. Schuckman.

Rostock, 1648.





PROGRAMMA, *1750*

Quo
RECTOR *D. HENR. RHANE.*

Et

SENATUS ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS

Funus

Clarissimi & eruditissimi Viri-Juvenis

HEINRICI Schuckmans /

Rostochiensis J. U. Doctorandi,

Patre

Viro Excellentissimo & Consultissimo

HEINRICO Schuckman / J. U. D.

Codicis in Universitate Rostochiensi

Professore, ac Consistorii Ducalis ibidem

Assessore meritissimo

Nati;

In peregrinatione verò Osnabrugi XXVI.

Aug. intra horam 3. & 4tam matutinam

Anno cl^o 1750 XLVIII.

piè denati,

Et ibidem Christiano ritu sepeliendi

Commiserationis ac honoris ergò


prosequuntur.

••(o)••

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.





Infelices & infortunatæ SCHUCKMANNI-
DUM peregrinationes! vix unquam sine lu-
ctu, vix sine calamitate unquam fuerunt.
Anni ipsi sunt quatuor, cum sanctissimi Senis
HEINRICI J. U. D. & Codicis in Academia
nostra Professoris optime meriti, Collegæ ac Amici no-
stri plurimum observandi, Filium JOHANNEM, Ju-
venem maximæ spei atq; expectationis, e Belgio vix re-
ducem, morbillis proh dolor! ademptum lugere, & gau-
diû in mœrorem commutare oportuit. Vultus hoc vix
ac ne vix quidem in cicatricem jam convenerat, cum ec-
ce iterum novi luctus occasione inexpectata mors alte-
rius Filii apportavit, & obductam jam pœnè cicatricem
miserabiliter refricuit. Enimverò surculum illum
nobilem in ipso ætatis flore extinctum, non lon-
go intervallo secutus est frater ejus germanus, Vir-Juve-
nis eruditione præclarâ virtuteq; egregiâ HEINRICUS,
J. U. Doctorandus. Et quod cum maximè suscitât dolo-
rem ac fovet, procul à focus ac laribus paternis, vivendi
finem fecit, eo ætatis articulo, eâ virtutis ac pietatis indole,
eâ morum probitate, eâ doctrinæ præstantia, quæ cer-
tè longiore vitâ dignissima esse judicabatur. Nimum
enim quantum distat ab illo vitæ humanæ termino,
quem vel sapientiæ fama celebris Solon, vel vaticinii
laude florentes Moses & Esaias, vel prudentiæ gloriâ in-
signes Jcti pepigerunt. Cœlo itaq; invideremus erep-
tum tam nobile depositum, nisi in æternitate suam
jam

jam locum occuparet. De Terra conquereremur, nisi illum non ignoraremus conditione nascendi fuisse mortalem. Quicquid sit tamen, non possumus non dolere & ingemiscere, dum è vivorum numero exiit tantus Vir-Juvenis, Juvenis senili virtute, quem maximi semper apud nos fecerunt omnes Boni ac Eruditi, quemq; amarunt tam ardentem, quam nunc impatienter requirunt. O celeres hominum dies! O Adolescentum optimorum citata curricula! vix excellentissimus Vir-Juvenis OSNABRUGI juxta cum fratre suo CONRADO J. U. Doctore [qui inibi adhuc hæret; at quanto in luctu facile est colligere] apud Patruelem suum HERMANNUM SCHUCKMANNUM pedem ex animi sententia posuerat, cum fati in contrarias partes euntibus è consortio hominum citato quidem, beatissimo tamen gradu evocatus est. HENRICUS is, mundi hujus lucem primam anno à Christo nato millesimo sexcentesimo vigesimo ad Kal. IX. Octob: ipso die B. Evangelistæ Matthæo sacro, circa undecimam nocturnam Rostochii aspexit. Patrem habuit Amplissimum, Consultissimum, Clarissimumq; Dn. HEINRICUM SCHUCKMANNUM J. U. D. & Codicis in hac nostra Universitate Professore celeberrimum, virum summæ prudentiæ summæq; auctoritatis, quæ senectutis apex à Cicerone in Cat. majore rectissime appellatur. Matrem sortitus fuit ANNA M Stechowen Feminam dum in vita erat rarissimi exempli. Avus paternus illi fuit Dn. HERMANNUS SCHUCKMAN, Civis OSNABRUGENSIS, Vir spectatæ virtutis & fidei, Avia Paterna ANNA Störcken

Matrōna pietate & virtutum matronaliū ornamentis ma-
 ximè conspicua. Avum verò maternum habuit ALBER-
 TUM Stechow Civem hujus Urbis laudatissimū, atq; Ædi
 Petrinæ olim Præfectum. Aviam maternam AGNETAM
 Pegels honestiss. matronā. Quantū hoc Natalium dec^o ad
 egregiam & præclaram Filii indolem contulerit, in pro-
 clivi est intelligere, Siquidem, ut verè Pindarus ille *μεγα-
 λοφρονότος* & scriptum reliquit: *Φυὰ τὸ γενναῖον ἐπιώρεπει ἐκ τῶν πα-
 τέρων παισὶν λήμω.* Qualia habuerit ætatis principia SCHUCK-
 MANNUS Noster, ultrò docemur incrementis; neq; dif-
 ficilè est ex Juvene puerum interpretari Statim singularis
 pietatis amor; statim humani modestiq; moris comitas,
 statim in ardua quævis itura apparuit industria. Et hæc
 gaudiorum prima Parentibus seges, prima non vulgaris
 spei coorta occasio: præsertim, ex quo ætas Adolescen-
 tuli literarum cultu excitata atq; formata fuit. Nam Ejus
 assiduissima contentio & indefessæ agitationis labor,
 non tantū cum votis Præceptorum, cum Parentum
 spe, sed cum ipso, quod insuperabile omnes credunt,
 tempore, certare visus fuit. Quò factum est, ut progressus
 haberet egregios, & jam Academiæ luce pariter atq; ex-
 ercitationis firmioris palæstra dignus judicaretur. Mis-
 sus itaq; auspiciis optimi Parentis Gryphisvaldiam, ubi
 cum cæteris suis fratribus reconditoris doctrinæ instru-
 menta maximâ venabatur industriâ, assequebatur soler-
 tiâ, peragrabat assiduitate, penetrabat constantiâ, judi-
 cio complectebatur. Usus convictione & amicitia, DN.
 JOHANNIS BERINGII Theologi & Mathematici non
 è multis, hodiè etiam Theologiæ Doctoris Prof. & de
 Ecclesia

Ecclesia Gryphisvvaldensi Pastoris bene merentis. Successus studiorum Præceptoribus suis publicè magno cum applausu non semel probavit. Anno enim supra millesimum sexcentiesimum quadragesimo secundo ibidem disputationem publicam de *Pupillari Substitutione* sub Præsidio DN. JOACHIMI VOLSCHOVII J. U. D. & Professoris habuit, eandemq; masculè & rectis rationibus atq; argumentis ivit defensum. Quippè averfabatur seriò id genus hominum, qui nimium quantum sibi sapere videntur, cum disputandi artem tot ineptiis intrincant, quot ignorari pariter, literariæ Reipubl. interesset; atq; ita miseram Juventutem ambitionis suæ spoliū faciunt. Domum reversus Noster, non instar hodierni alicujus nepotuli, delitiosa discursationis præmia & vanæ cujusdam scientiæ crepitacula plebejo stupori promulgabat: non inter mensas & pocula marcescebat; sed quasi in perpetuo quodam sapientiæ Augustali domi desidens, per ejusmodi malorum irritamenta à Jurisprudentia, in cujus quasi sinu conquiescere decreverat, avelli se nunquam patebatur. Hac viâ enim optimè sciebat peragrandum, quicquid ad fastigium gloriæ superesset. Anno M. DC. XLV. sub præsidio Dn. Parentis sui Disputationem iterum DE PACTO SUCCESSORIO publicè Doctorum caveæ proposuit, & magna cum laude, ac prospero successu ventilatam dedit. Cum igitur legitimæ scientiæ stadium hoc pacto feliciter decurrisset, de consilio Parentis summos in jure honores recte atq; ordine ambire cœpit. Neq; frustra fuit. At quia consuetudo hæc invaluit, ut profectus ejus, qui augustos il-

los Doctorum titulos ambit, tentamentis prius, tam
privatis quàm publicis explorentur, etiam huic omninò
sibi optimè conscius morem gerere voluit. Anno igitur
M. DC. XLVII. postquam celeberrimis Themidos An-
tistitibus profectuum exploratoribus privatim juxta
cum fratre suo CONRADO abundè satisfecisset, inpu-
blica Orchestra, Decano tunc temporis ac Præside, nunc
Magnifico Rectore D. RAHNIO disputans de *Primo &*
Secundo Decreto, omnibus cordatis se mirificè approba-
vit, dignusq; omnium doctorum consensu unà cum fra-
tre CUNRADO, **JUS RETENTIONIS** cum laude de-
fendente, habitus fuit, quib. quocunq; tempore vellent,
ad supremum honorem aditus pateret. Sed placuit antè
peregrinationis cursum ingredi: itaq; cum fratre suo ger-
mano CUNRADO, individuo ejus Achate, in Hol-
landiam profectus, cum Leidæ aliquamdiu commora-
ti fuissent, hinc in Brabantiam concesserunt. Cum
& ibidem primarias civitates, ut puta Antverpian, Bru-
xellas urbem sane magnificam, Lovanium, Bredam &c.
singulari cum fructu, quem terrarum perlustratores uni-
cè spectare debent, visissent, virosumq. summorum con-
versatione ac notitiis fructi fuissent, Osnabrugum & Mo-
nasterium, ubi Comitiam illa publica, quæ Germaniæ no-
stræ pacem & quietem publicam non perfunctoriè ho-
die polliceri videntur, profecti sunt. Eâ mente, ut plu-
rimarum rerum, quæ isthic geruntur, cognitione imbue-
rentur, illustres exterarum gentium viros cognoscerent,
prudentiam suam observatione alerent, exemplis robo-
rarent, consummarent peritiâ, ingenio curatè exerce-
rent.


rent. At pro dolor! vix Nostrum exceperat Osnabrugum,
& ipse per octiduum in Patruelis substiterat lare, cum
die xvii. Augusti ex dolore capitis laborare cœpit,
Quem anteambulonem postero die maligna atque acu-
ta febris est subsecuta, quæ nobilissimum hunc juvenem
tandem post nonum diem exstinxit. Tenebatur quidem
desiderio amplexandi iterum sanctissimum senem Pa-
rentem suum & fratrem D. HERMANNUM, carissi-
ma capita: sed cum jam termini fatalis signa haud obscu-
ra conspiceret, totum sese DEI voluntati permisit, &
mundum mundanaq; omnia pio zelo detestatus, Impe-
ratorem suum vocantem sine murmure ac gemitu ad
beatorum sedes securus est, ubi nunc sublime discit & fa-
lutare novæ eruditionis rudimentum *quod in terris nihil
sciatur*. Patruelis quidem, cognati, affines, cum primis Fra-
ter ejus germanus in eo curando diligentissimi, nec sum-
tui, nec operæ, nec vigilijs pepercerunt; vicit tamen vis
morbi, quæ auxiliis debellari minimè potuit. Neque
vero averfatus est aut perhorruit vitæ finem & mor-
tem: sed postquam illam sibi imminere sensit & prius
ineffabili corporis ac sanguinis Dominici sacramento
ardenter expetito, (quod ministerio viri reverendi &
clarissimi DN. M. GERARDI GULICHII Pasto-
ris Ecclesiæ Osnabrugensis fidelissimi accepit) ad bea-
tam migrationem sese præparasset, & salutem animæ suæ
procurasset; non ignarus, qui hîc de evangelii fide non
acceperit codicillos, eum illic æternarum infulas non ha-
biturū dignitatū; in hanc gloriosam vocem erupit: NUNC
FIAT MIHI SECUNDUM VOLUNTATEM DOMINI. Et ita fa-
ctum


atum est. Ad diem xxvi. Augusti, horâ tertiâ matutinâ
in verâ Dei agnitione, desiderio, fiducia, nominis Jesu in-
vocatione, animam ei reddidit, à quo acceperat. Et si non
est dubium, Patrem defuncti, venerandum illum Senem
ad primum nuncium tristissimum vehementer animo
perculsum fuisse, summoq. opere dolere, filium in opti-
mo ætatis vigore raptum, & à cursu animi atque indu-
striæ revocatum, & peregrè procul ab oculis ipsius ex-
stinctum esse: eundem tamen confidimus luctui modum
facturum si consideraverit, nihil ad rem pertinere, quo
loco quis desinat, modo bonam clausulam imponat.
Quod si hoc nō allevat: at illud leniat, quod filium suum
in decretorio illo die recepturus est: quodque, quam diu
hisce in terris fuit, bene vixit, & piè obiit, nec nisi hone-
stissimam nominis sui memoriam post se reliquit.

Vos, CIVES ACADEMICI, quia luctuosum hoc fu-
nus vestrâ honorificâ (quod scio faceretis frequenti) præ-
sentia cohonestare non licet, agite sultis sequimini quod
potestis, affectu & vestra doloris societate. Ita non pa-
rum dolorem suum levatum esse Nobilissimus noster Ju-
ris Antecessor apertè fatebitur. Magnum enim est mi-
sero solatium, ut Nazianzenus ait, miseratio, quæ ex ani-
mo proficiscitur; soletque dolor ingenuè impertitus ca-
lamitates plurimum sublevare. P. P. Rostochii, die

10. Septembris, Anno 1648 Sub Sigillo

Universitatis,







rent. At pro dolor! vix Nostrum
& ipse per octiduum in Patruel
die XVII, Augusti ex dolore
Quem anteambulonem poster
ta febris est subsecuta, quæ nobi
tandem post nonum diem extin
desiderio amplexandi iterum s
rentem suum & fratrem D. HE
ma capita: sed cum jam termini f
ra conspiceret, totum sese DE
mundum mundanaq; omnia pic
ratorem suum vocantem sine n
beatorum sedes secutus est, ubi n
lutare novæ eruditionis rudimen
sciatur. Patruelis quidem, cognati
ter ejus germanus in eo curando
tui, nec operæ, nec vigilijs peper
morbi, quæ auxiliis debellari mi
vero averfatus est aut perhorre
tem: sed postquam illam sibi in
ineffabili corporis ac sanguinis
ardenter expetito, (quod ministe
clarissimi DN. M. GERARDI
ris Ecclesiæ Osnabrugensis fide
tam migrationem sese præparasse
procurasset; non ignarus, qui h
acceperit codicillos, eum illic æter
biturū dignitatū; in hanc gloriosa
FIAT MIHI SECUNDUM VOLUNTA

Osnabrugum,
rat lare, cum
borare cœpit,
gna atque acu
tunc juvenem
batur quidem
m senem Pa
NUM, carissi
a haud obscu
i permisit, &
estatus, Impe
ac gemitu ad
ne discit & fa
in terris nihil
m primis Fra
imi, nec sum
cit tamen vis
ait. Neque
nem & mor
ensit & prius
sacramento
reverendi &
CHII Pasto
pit) ad bea
n animæ suæ
gelii fide non
ulas non ha
erupit: NUNC
NI. Et ita fa
ctum

